

materiae aliquando urinas reddere opacas; ut in vulceribus renum & vesicae accidit, & in mulieribus A
 quae adhuc expurgantur in menstruis: miscentur enim in illis corrupti & vitiosi humores impuri, qui
 urinas reddunt opacas. Quod si varij humores cum urina misceantur, ob diuersitatem colorum uri-
 nae quoque fiunt opacae: verum ob lucem & lumen nobis nihil fieri potest perspicuum vel opacum,
 ob luminis & lucis priuationem: nulla enim in nobis est lucida aut luminosa substantia quae humo-
 res & urinam afficiat. Propterea ridenda est Montani opinio, qui a spiritibus lucidas fieri urinas
 docet: quia, inquit, spiritus ipsi sunt lucidi. Nam docuimus in libro De somno & vigilia, spiritus
 nostros nihil aliud esse quam vapores quosdam ex humorum massa eleuatos actione caloris: propte-
 rea nullam lucem nullumque lumen habere possunt, a quo enim & vbi quae so haec caperent? Ob
 calorem quidem urinas fieri posse perspicuas, rationi est consonum: habet enim calor vim extenuan-
 di, rarefaciendi, purificandi materiam, heterogenia separandi, ex quibus rebus res lucidae euadunt:
 & spiritus quia calidi sunt, non quia lucidi, urinas claras faciunt, si modo ipsi spiritum naturam ha-
 beant, vel sint ignei & tenues; nam crassi, terreni, & aquei, opacitatis sunt causa, non ob calorem B
 quem habent, sed ob crassitatem. A frigore vero fieri opacas urinas constat ex eo quod apparet fie-
 ri in urinis corruptis ab aere, & in ijs qui morti sunt propinqui, sunt enim istorum urinae opacae, sed
 diuerso modo fiunt. Nam externum frigus, extincto proprio urinae calore densat & corrumpit, &
 vbi sunt heterogenae partes crassas cum tenuibus miscet, quum antea essent rarefactae & diuisae; im-
 becillus vero noster calor qui frigidi rationem habet, nequit extenuare, rarefacere, diuidere, & te-
 nues spiritus procreare, nec materiam purificare. Propterea quum eo peruenit ut ob extremam im-
 becillitatem contraria efficiat, tunc opacitatis urinae est causa. Calor vero externus, etiam natium
 calorem urinae corrumpit, sed diuerso modo quam frigus. Hoc enim contraria vi, qua repugnare suo
 contrario est aptum & natum, calorem extinguit: calor vero externus lucidas urinas reddit, quia ra-
 refacit & extenuat, qua ratione dissipat spumofam substantiam ipsius urinae in qua calor potissimum
 residet: quo dissoluto & absumpto, eo modo quo parua flamma a magna consumitur, frigidae urine
 & postea conturbatae & opacae euadunt, quae postea igni admotae rursus clarescunt, quia nouum calo-
 rem recipiunt. Haec habui quae dicerem de urinis opacis & perspicuis: quae quidem veritatis studiosos
 iuuare poterunt in re tam opaca & obscura, ad meliora, si haec non placent, inuenienda. C

De odore urinae. Cap. XVI.



MONTANVS urinam hominis sani nullum prorsus habere odorem malum tradit; quia
 inquit, naturalis est & bene concocta. quasi omnia quae sunt naturalia & bene conco-
 cta sint bono odore praedita. Ita ergo stercora bene concocta, quum sint naturalia, illa
 bene olerent. An nescit excrementa ex impuriore rei materia elici? & propterea non pos-
 se esse sine aliquo fetore, praesertim si a corporibus & humidis, qualia sunt animalium D
 corpora, & praesertim nostra, fiant? Sed quum ipse postea scibit, urinas quae penitus carent odore, esse
 praeter naturam, eo quod magnae frigiditatis sint indicia, & eas quae bene olent fieri a rebus comestis;
 debebat videre quod sequitur, vel urinas sanorum, quas dicit nullum malum habere odorem, esse praeter
 naturam; aut si bonum habent, a rebus comestis fieri talem odorem. Ergo urina sanorum ali-
 quem habet odorem, & cum non bonum, quum sit nostri corporis excrementum: non tamen admo-
 dum malum, quum sit concocta, & concoctionem secundum naturam testetur. Videntur tamen
 insignes odores qui in urina fiunt vel boni uel mali non solum prouenire, eo quod urina sit excremen-
 tum, sed ex mixtione rerum quae cum illa misceantur, quod quidem testantur urinae admodum aquo-
 sae in morbis frigidis & crudis, & crassae in morbis calidioribus. Illae enim, quum nihil habeant admix-
 tum cum suo liquore, exiguum tamen odorem habent, & minorem etiam quam urinae sanorum, quae
 naturalium excrementorum moderatam portionem in se continet: quae uero crassae sunt, ideo grauius
 olent, quia plura in se continent excrementa, quae urinas tanto grauius reddunt olentes, quanto maio-
 rem obtinent putredinem, nam putredo graueolentiam parit. Ex mixtione ergo insignes odores in
 urina fiunt. Porro misceri potest cum urina uel aliquid extrinsecus in corpus assumptum, uel aliud in
 corpore genitum. Et quae assumuntur, uel commouent aliquos humores & eos cum urina miscent,
 uel sola fere miscentur ipsa. Quaedam praeterea non facile mutantur a corpore, alia facilius. Itaque
 si quae assumuntur difficile mutantur, & paucam materiam secum trahunt, & eam quae non habet uim
 conciliandi malum odorem: tunc urine redolent odorem rei assumptae, ut illis contingit qui terebinthi-
 nam assumpserunt: manet enim odor in urina terebinthinae, quoniam ob uiscositatem difficile a natu-
 ra alteratur terebinthina. Quo modo & excrementa allij assumpti odorem referunt, & integris pro-
 pterea uiribus cum urina miscetur, nec habet uim insignem purgandi & trahendi humores a partibus
 corporis: Cassia uero quia facile alteratur & uincitur, & multos secum humores trahit a quibus
 odor